

Ob 12

1861



# INDEX LECTIONUM



IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLXI

INSTITUENDARUM



PRAECEDIT DR. ANDR. THIEL DE SYNODO DIOECESANA HENRICI III EPISCOPI WARMIENSIS

BRUNSBURGAE

TYPIS HEYNEANIS




INDEX LECTONUM

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. LAUR. FELDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943:202



## De synodo dioeciesana Henrici III Episcopi Warmiensis.

Versanti mihi Seeburgi a. 1858 oblatu8 est ex illius parochiae archivo codex saeculi XVI aut XVII manuscriptu8 chartaceu8 folioru8 maximae formae 111. In quo quum varia scripta nullo ordine compaginata, tum statuta synodalia Warmiensia Henrici, Lucae, Hosii et Cromeri eadem manu exarata sed compaginatoris levitate variis locis disposita inveni. Aderat suspicio, Henrici quidem pro Francisci nomine erronee scriptu8, sed mox aliam in partem vertere sententiam coactus sum. Non solum enim statuta ibi exhibita a statutis Francisci in multis discrepant, sed etiam autor ignotus commentationu8, quae ibidem de historia Warmiensi f. 70—84 et 88—111 dantur, f. 72 ex iis jam Henrici I aut II laudes textit. Notu8 praeterea, revera antiquitus in Warmia sicut aliis locis omnibus synodos dioeciesanas habitas,<sup>1)</sup> etsi hucusque ante Joannis III Abezier nullaru8 decreta nobis cognita.<sup>2)</sup> Quare operae pretium duxi, in statuta illa accuratius inquirere, eaque hac data occasione publici juris facere.

In statutis igitur laudatis Henricu8 quidam episcopus Warmiensis autor nominatur. Etsi scriptura eorum demum saeculu8 XVI aut initium saeculi XVII prodit, nullu8 tamen ibi nec fraudis nec erroris locus offertur, nec est, cur de ejus veritate dubitemu8. Huc accedit, quod tota eorum ratio quum priscam antiquitatem tum illam ipsam Henrici III aetatem (1373—1401) satis significat.

In ipsa enim, quam infra praestabimus, collatione horu8 statutoru8 cum Francisci et Lucae statutis<sup>3)</sup> vix dubium relinquitor, illa quidem his antiquiora esse. Primum ubique ibi apparet, et cleru8 et plebem rudioru8 esse, quare et restrictiones jurisdictionales arctiores et poenae magis externae. Siquidem illic (st. I. n. 13 et 27) causae matrimoniales

<sup>1)</sup> Cf. Jacobson „Gesch. der Quellen des kath. Kr. in Preußen und Posen“ S. 106. Jam a. 1364 Joannes II „statutu8 synodale ante longa tempora per nostros decessores et nos ordinatu8“ memorat (l. c. Umfang S. 111, 113, 115), similiter Franciscu8 in statutoru8 suoru8 initio (l. c. 218). Summu8 autem de hac re testimoniu8 est ejd. Joannis II in litt. Greg. XI d. 25. Febr. 1373 apud Theiner „Monumenta Pol. et Lith.“ Rom. 1860 p. 685.

<sup>2)</sup> Cf. Freter „de epp. Warm.“ p. 36, Leo „hist. Pruss.“ 220 sq.

<sup>3)</sup> Quae brevitat8 causa in seqq. litteris Fr. et L. significabo.



et reservatae sacerdotibus ne in foro conscientiae quidem conceduntur (— contra apud Fr. n. 26 et 27, L. n. 32 et 33), reservantur inter alia (n. 23) omnino restitutio ablatorum (— apud Fr. n. 27 et L. n. 33 solummodo „ablatorum dimidium fertonem excedentium“ —), transgressio votorum et discussio causarum matrimonialium (— apud Fr. et L. l. c. aliter —), proditio domini et infidelitas damnosa episcopo facta (— quas easdem Fr., L. autem jam non habet). Pro poena autem illic pecunia solvenda, ubi apud Fr. et L., quippe neophytis magis provectis, solum spiritualia damna inflictata. Ex. gr. II. n. 1 pro negligentia missae et praedicationis festivalis unius solidi (apud Fr. et L. n. 15 carentiae sepulcri —), II. n. 2 pro ignorantia orationis dominicae, salutationis angelicae et symboli apostolici unius fertonis (ap. Fr. n. 28 et L. n. 34 contra s. eucharistiae, n. 13 matrimonii et n. 19 trinitatis interdictionis —) mulcta imponitur. Similia prioris originis vestigia praebentur in st. I. n. 10 (cf. Fr. et L. n. 10 et 12), n. 11 (cf. Fr. n. 22 et 28, L. n. 22 et 34), n. 14 (cf. Fr. n. 27, L. n. 33), n. 16—18 (cf. Fr. n. 31, L. n. 37). — Deinde pauca illa, quae his in statutis nova, non minus eorum priorem aetatem ostendunt. Pro lectionibus de scriptura sicut calendario dierum festorum certae normae exhibentur (I, 21), quasi his regionibus antea ignotae, festum Visitationis B. M. V. autem, demum a. 1390 publici juris factum, sicut jejunium vigiliae ejus ibi revera primum instituitur (II, 1). Mores aut usus neophytorum, qui ibi memorantur, aequae primam novi aevi indolem prae se ferunt. Ejusmodi sunt superstilio „Heilfeier“ (I, 22), abusus de qualibet villa unum tantum aut duo ad ecclesiam mittendi, expeditiones et terrarum custodiae frequentes (II, 1), denique praecepta, ut unusquisque parochus sigillum suum habeat (I, 15). Quibus omnibus id quidem evincitur, statuta haec statutis Francisci antiquiora esse.

Sed et Henrici III (1373—1401) aetas satis notatur. Ex litteris Gregorii XI d. 25. Febr. a. 1373 ad Joannem E. W. II directis et nuperrime a viro doctissimo Theinero („Monum. Pol. et Lith.“ Rom. 1860 p. 683 et 685) editis id apparet, jus dioecesanum Warmiense (fortasse secundum normam a synodo Thoruniensi d. 10. April. a. 1244 exhibitam) ab Anselmo stabilitum, universim ad hujus episcopi usque tempora obtinuisse. Quum autem jam dudum multis in partibus mutandum visum fuisset, hic ipse Avenione degens a Pontifice facultatem idem in melius commutandi officiumque divinum in ecclesia cathedrali ordinandi expetiit et accepit.<sup>4)</sup> Verum paullo post morte inopinata praereptus, jam d. 5. Sept. ejd. anni Henricus Sauerbaum ejus successor confirmatus est.<sup>5)</sup> Qui sane

<sup>4)</sup> Litt. Pontif. (d. 25. Febr. 1373) de commutatione statutorum dioecesanorum ita habent: „Gregorius Eppus etc. etc. V. F. Johanni Eppo Warm. sal. etc. Exhibita nuper tua petitio continebat, quod olim b. m. Anselmus Eppus Warm. primus fundator ejd. eccleie pro confirmatione status honoris et jurium ipsius eccleie, attentis et consideratis qualitatibus temporum, que tunc erant, nonnulla utilia et salubria, que, quotcunque et qualiacunque fuerint, haberi volumus pro expressis presentibus, statuit et etiam ordinavit, et quod propter mutacionem et variacionem temporum, que secuta fuerunt, et nunc sunt, hujusmodi ordinata et statuta possunt in melius commutari. Quare nobis humiliter supplicasti, ut pro bono dicte eccleie hujusmodi statuta et ordinata mutandi licentiam tibi concedere auctoritate aplica dignaremur. Nos itaque cupientes statum ejd. eccleie salubriter dirigi atque regi, gerentes quoque de tue circumspectionis industria fiduciam in domino specialem, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue hujm. statuta et ordinata in melius commutandi ac eis addendi detrahendi nec non in prefata ecclesia aliqua de novo ordinandi et statuendi prout expediens et utile dicte eccleie fuerit, de dilectorum filiorum Capituli ejd. eccleie aut saltem majoris et sanioris partis eorum consilio et assensu, et alias secundum canonicas sanctiones quibuscunque etc. non obstantibus tenore presentium concedimus facultatem Dat. Avin. V Kal. Marc. Pontif. nri A. tercio“ (ex Reg. orig. a. III Indulg. et Privil. f. 40 apud Theiner l. c. I 685). Litt. Pontific. de ordinatione divini officii in ecclesia Warm. ejd. dat. l. c. 683.

<sup>5)</sup> Confirmatio ejusdem („Praepositi eccleie in Wolframskirch Olomucensis diocesis“) apud Theiner l. c. I p. 693.



quod antecessor proposuerat, exsequi non distulit. Puto igitur, statuta eo modo emissa ipsa nostra, quae modo protulimus, esse, in quibus et summa juris dioeceseani et ordinatio officii divini, sicut per Joannem a Pontifice expetita, praebetur. Quod idem etiam internis rationibus probatur. Nam paucae illae, quae aliquatenus chronologiam significant, notae omnes ipsum Henricum III innuunt.

Primum enim in satutis nostris non solum omnia, quorum Joannes Streifrock facultatem a Pontifice petierat, praebentur,<sup>6)</sup> sed etiam festum Visitationis B. M. V. demum anno 1390 a Bonifacio IX publici juris factum<sup>7)</sup> primum in dioecesi Warmiensi instituitur.<sup>8)</sup> Henricus ille noster autem praeprius a doctrina et experientia canonica laudatur, quippe antea Caroli IV secretarius apud curiam Avenionensem degerat. Quod sicut ejusmodi statutis optime congruit, ita propellit suspicionem contrariam, ipsum et antecessoris propositum et Pontificis mandatum aut ignorasse aut neglexisse. — Similiter censurae contra haereticos ecclesiasticae autoritatis contemptores latae (I, 19) sententiae nostrae suffragantur. Nam et sparsim ejusmodi haeretici („Sarraboytae, Waldenses etc.“) grassabantur,<sup>9)</sup> et ipso anno 1374 d. 13. Jan. Gregorius XI necessarium duxit, Archiepiscopo Gnesnensi mandare, ut contra errores Mileczii canonici Pragensis in his quoque regionibus strenue procederet.<sup>10)</sup> — Idem dicendum de vetito ibi emisso, ne provocationes ad forum saeculare fierent (III, 4). Notum enim est, vix alium quempiam magis, quam Henricum III de insolentia cruciferorum passum esse (cf. Treter l. c. 19 ss.). — Quae omnia cum persona successoris Henrici IV (1401—1415) minus conveniunt. Nam is quidem nec simili modo de doctrina laudatur, nec sane inter gravissimos bellorum strepitus, quibus aevum ejus replebatur, suaque ipsius pericula otium operis tam pacifici obeundi nactus est. Tantum vero jam constare patet, in statutis ipsis non solum nihil contra Henricum III autorem loqui, sed omnia cum ejus tempore et persona optime congruere.

Denique de ordine horum trium statutorum id fere dici posse videtur. Omnia in una eademque synodo publicata sunt, ita tamen ut ipsum statutum synodale („ex veteribus collecta cum paucis statui moderno congruentibus superadditis“ — cf. facult. Pontific. supra laudata) tantum illud sit, quod primo loco positum. Cui episcopus in eadem synodo ejusdemque sub autoritate alia duo ab ipso jam pridem edita subjunxit, sc. statutum II fortasse mox post adventum suum, et statutum III de celebrando festo Visitationis B. M. V. „dudum a Papa mandati“ circa a. 1393 emissum. Post hunc igitur annum ille facultatem Pontificis antecessori suo datam exsecutus, congregata synodo et vetus jus dioeceseanum paucis ubi visum mutatis additisve stabilivit, et quae ipse forte antea generaliter statuerat adjecit. Ita quidem factum, ut dum demum statuto III festum Visitationis B. M. V. novum praecipitur, jam statuto I n. 21 inter celebranda recenseatur, utque in principio primi et in fine tertii tantum publicatio „in praesenti synodo“ fieri dicatur, in principio secundi et tertii autem praeceptum solum episcopi autoritate additove (in II<sup>do</sup>) Capituli consensu edatur. Sed jam statuta ipsa proferamus!

<sup>6)</sup> Sc. ordo et ritus festorum celebrandorum in st. I, 21. II, 4. III, 1, in reliquis autem statuta dioeceseana varia, praeprius de administratione ecclesiastica (cf. I, 15. III, 2, 3, 5).

<sup>7)</sup> Cf. Schulting „biblioth. eccl.“ II, p. 2.

<sup>8)</sup> St. III, 1 cf. I, 21.

<sup>9)</sup> Cf. Syn. Prag. a. 1381 (Hartzheim conc. Germ. IV, 525), Mogunt. a. 1387 l. c. 534 al.

<sup>10)</sup> Theiner „Monum. Pol.“ I, 699.



## Statutum synodale Henrici III episcopi Warmiensis.

### I. \*)

Henricus Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Warmiensis dilectis nobis in Christo Archipresbyteris caeterisque parochialium Ecclesiarum nostrae dioecesis rectoribus seu curatis ac in sacris ordinibus constitutis universis Salutem in Domino et infrascripta diligenter attendere et intellecta effectu prosequi et implere. Cum de statu clericorum et ecclesiarum regimine varia tam sacrorum canonum generalia quam praedecessorum nostrorum Warmiensium Episcoporum bonae memoriae salubria mandarunt instituta, multaque ex ipsis cum poenas horribiles videlicet excommunicationis irregularitatis et similes transgressoribus suis ipso facto instigant, sacerdotes plerumque simplices ipsa ignorantes, quamvis tamen eorum respiciant officium, et (quae?) circa ipsa versentur quotidie scire teneantur, periculose se illaqueant, pro utilitate publica aliqua ex eis hic collecta cum paucis statui moderno congruentibus superadditis in praesenti sacrosancta synodo de consilio Venerabilis nostri Capituli edimus et publicamus, ne quis deinceps ipsorum ignorantia se excuset.

1. Prohibemus igitur, prout in Canone prohibetur, ne quis sacerdos, qui sacerdotii sui particeps esse voluerit, extra ecclesiam missam absque nostra licentia celebrare praesumat.

2. Item ne quis in ecclesia vel coemeterio a jure vel ab homine interdicto divina officia publice, nisi quatenus a jure permittitur, celebret, mortuos sepeliat aut nubentes benedicat, qui contra fecerit, irregularitatem contrahit ipso facto.

3. Item de eo, qui ab ingressu ecclesiae suspensus divina in ecclesia praesumpserit celebrare.

4. Item qui excommunicatus suspensus vel interdictus divina in officio suo ut prius agens celebraverit, irregularis efficitur ipso facto.

5. Insuper qui praesente publice excommunicato aut nominatim interdicto divina celebraverit aut tales ad ecclesiasticam sepulturam admiserit, ipso jure ab ingressu ecclesiae suspenditur, et si sic suspensus celebraverit, fit irregularis ut est dictum.

6. Item quicumque clerici vel laici tempore interdicto mortuos in coemeterio, aut qui publice excommunicatos aut nominatim interdictos tempore non interdicto sepelierint, etiam excommunicatione jure innodantur.

7. Item inhibemus etiam, ne quis in ecclesia vel coemeterio sanguinis effusione polluto celebret divina aut mortuos sepeliat, aut in talibus coemeteriis vel etiam nondum consecratis circuitus seu processiones cum crucibus aut reliquiis faciat, donec reconciliata fuerint et consecrata.

8. Item ne quis chrismandus chrismetur de vetere chrismate, cum talis de jure sit deponendus.

9. Item ne quis plebanus presbyterum alterius dioecesis in capellanum recipiat, nisi prius per nos receptum se per nostras litteras ostendat.

\*) Totum statutum ita ex dicto cod. Ms. reddam, ut additiones aut conjecturas proprias, si quae fieri necesse, tantum cancellis inclusas adjuncturus sim.

Ad 1. Fr. et L. n. 1 idem, omisso tantum „prout in canone prohibetur“ (sc. c. 12 D. 1 de consecr.

Ad 2. Idem Fr. et L. n. 2 alia tamen conclusione.

Ad 3 et 4. Parum mutat. Fr. et L. n. 3.

Ad 5. Idem Fr. et L. n. 4.

Ad 6. Fr. et L. n. 5 addunt „manifestos usurarios“ (cf. c. 3 X. 5, 19. c. 2 in VI. 5, 5), omittunt „tempore interdicto mort. in coemit.“ (cf. Clem. 1. 3, 7).

Ad 7. Fr. et L. n. 6 addunt „vel seminis (effus.).“

Ad 8. Sim. Fr. et L. n. 7 „sub poena depositionis.“

Ad 9. Id. Fr. et L. n. 11.



10. Item ne quis parochianum non suum ad sacramenta vel ad sepulturam recipiat, plebani illius licentia non obtenta. Et quia docuit experientia, quam plurimos, de jure impeditos, matrimonium contrahere volentes proprios plebanos fugere et alibi se procurare malitiose copulari, Prohibemus ergo sub poena suspensionis ab officio et beneficio, ne quis matrimonio copulet, nisi ambo vel saltem alter copulandorum sit de sua parochia et reliquus sit ei notus.

11. Praecipimus etiam, ut curati in missis celebrandis sermonibus faciendis et confessionibus audiendis, baptismo eucharistia et aliis sacramentis ministrandis temporibus debitis se diligentes et praecipue circa baptisandos et morientes exhibeant, ne quis negligatur eorum desidia, quod in seipsos utique redundaret. In sermonibus etiam quibuslibet ad populum faciendis in vulgari theutonico, et prutenico, ubi pruteni fuerint, Oratio dominica et Salutatio angelica cum Symbolo Apostolorum expresse exponantur, et quia circa prutenos in iis negligenter agi intelleximus, vos omnes et singulos ipsis ad praedicandum et praemissa exponendum in virtute sanctae obedientiae monemus et hortamur, nam de negligentibus talia specialius inquiremus.

12. Prohibemus insuper, ne quis Baptismum Eucharistiam vel aliquod sacramentum parochianis suis ex rancore aut indignatione seu quod servitia parochialia non solverunt, denegat, sed contra eos jus suum prosequatur.

13. Item ne quis causas matrimoniales dubias, etiamsi in confessione occurrerint, si iudicium exigunt, expediat, sed ad curiam nostram iudicandae seu discutiendae remittantur, quod etiam in aliis contentiosis causis quibus(cunque) districte prohibemus.

14. Mandamus etiam, quod vestrum quilibet casus reservados infrascriptos habeat et attendat, ne se de reservatis intromittat seu absolcat. Verum quia circa haec fraudes fieri cognovimus, prohibemus, ne in his casibus quis, etiam ad tempus scilicet quousque ad nos vel ad nostros primarios venire possint, poenitentiam modicam injungat, nisi fuerit necessitatis articulus, vel scandali vel periculi magni visibiliter imminentis formido suadet tales taliter fore absolvendos.

15. Volumus insuper, ut quilibet vestrum sigillum proprium habeat, per quod de executione mandatorum nostrorum et aliis occurrentibus nobis fiat fides.

16. Praeterea cum secundum canones vehementer Ecclesiam Dei destruant, meliores esse laicos quam clericos, cum nec eis sufficiat ad salutem, si turbis indoctorum fide et actibus adaequentur, sed sicut alios praecellunt dignitate et honore, ita praecellere debent sanctitate et scientia. Ipsis enim de altari vivere et non luxuriari permittitur, ut ex officio suscepto non licentiam peccandi sed necessitatem bene vivendi se noverint assecutos. Unde canones exequendo

Ad 10. Prior pars similiter apud Fr. et L. n. 10 omisso „vel ad sepulturam“ et addito „nisi in extr. necessit. constit. fuerit;“ pars altera itd. ap. Fr. et L. n. 12 sed multo plenius et distinctius (ex. gr. addita trina promulgatio).

Ad 11. Prioris partis Fr. et L. n. 22 non nisi sensum exhibent, itd. secundae partis Fr. n. 28 et L. n. 34 non nisi similia lineamenta.

Ad 12. Sim Fr. et L. n. 25.

Ad 13. Cf. 27. Sim. Fr. n. 26 sed omisso „etiamsi in confessione occurrerint;“ L. n. 32 ejusmodi causas expresse iudicio sacerdotum submittit.

Ad 14. Cf. 27. Fr. n. 27 et L. n. 33 hoc quoque loco restrictionem omittunt, ut ne ad tempus quidem ibi sacerdotes poenitentiam injungere valerent.

Ad 15. Fr. et L. non habent.

Ad 16—18. Praemissa introductio propria est. Deinde de vitae clericorum honestate secundum antiquos canones similiter Fr. n. 31 et L. n. 37 habent, sed omnia brevius dicta, ex. gr. causae ejusmodi vetiti („jam enim pluribus etc.“ et „cum haec sint signa etc.“) et modus scurrilitatis („more Ribaldorum etc.“) praetermissa. Ceterum vox „Ribaldi“ homines vilissimos ad omne genus libidinum proclives significans saeculo XIII et XIV usitatissima postea magis ex usu cessit (cf. du Cange „glossarium med. et inf. lat. s. h. v.).



Prohibemus sub poena privationis, ne constituti in sacris ordinibus praecipue tabernas et commessationes rusticorum ebrietates et injurgitationes frequentent. Jam enim pluribus talibus homicidia mutilationes et alia incommoda scandalosa in tabernis evenerunt.

17. Item ne lucris et quaestibus temporalibus mercationibus et negotiis seu officiis maxime inhonestis se immisceant, aut choreis ludis et spectaculis indecenter.

18. Item ne dignitatem sacerdotalem conculcantes more Ribaldorum verbis scurrilibus et turpibus, prout plures laicis ex hoc placere cupientes facere percepimus, alios scandalisent, nam de talium correctione cogitabimus diligenter. Tonsuram et vestes ordini suo congruentes deferre ne verecundentur, cum haec sint insignia sollemnia, quibus honor exhibetur et privilegia clericalia obtinentur.

19. Caeterum cum blasphemare sit in Spiritum sanctum, aliquid agere proterve, aut etiam loqui contra sacros canones, qui Spiritus sancti instinctu sunt conscripti, Prohibemus, ne quis apud clericos vel laicos contra statuta canonum et Ecclesiae blasphemando vel aliquid jocose loquatur dicendo videlicet („) Papa vel ecclesia hoc vel illud statuere non potest“ vel „truffa est, quod de excommunicatione vel de indulgentiis scripturae vel clerici nobis dicunt,“ nam tales censendi sunt haeretici. Vel joculari de talibus focus est noxius et jure puniendus.

20. Item ne quis mulieres suspectas in domo habeat aut earum hospitia aut confabulationes frequentet, ne ipsorum ex hoc vituperetur ministerium et aliis scandalum generetur.

21. Volumus insuper, ut quilibet presbyter nostrae dioecesis in horis et officiis divinis legendis et cantandis ecclesiae nostrae cathedrali se conformet, et prout praedecessoribus nostris placuit, nobis placet, ne in eadem ecclesia duae Missae simul cum nota, si tamen commode fieri possit, teneantur, cum haec dissonantiam et cantuum confusionem induca(n)t indecenter. Debent etiam historiae imponi per hos versus: „In princ. dat Petrus Egidi si bona crux pe. Hinc adape. remi. omnes sancti quoque vidi.“ Intelligendo sic: si festum beati Petri ad vincula in dominica die evenerit, in eadem historia in principio imponatur. Si autem in secunda tertia vel quarta evenerit, inchoetur in praecedenti dominica. Si autem in quinta sexta seu sabbato evenerit, dominica die sequenti historia imponatur. Historiis et festis in his versibus contentis est servandum. — Jejunia autem quatuor temporum habentur per hos versus:

Vult Crux, Lucia, Cineres, Charismata dya

Ut sit in angaria quarta sequens feria.

Ad 19. Articulus hic, quem apud Fr. et L. frustra quaesieris, haud dubie ad fluctuationes Waldenses aut Wiclefistas, quae tunc temporis super Boëmiam usque ad has regiones superundabant (cf. litt. Greg. XI cit. Theiner „Monum. Pol. I, 699), spectare videtur. „Truffa“ idem quod „fraus“ aut „nuga“ est, et praepimis in Waldensium contra ecclesiam maledictis locum habuisse narratur (cf. Ind. error. Wald. §. 15 syn. Col. a. 1280 c. 4, syn. Avenion. a. 1340, Trecor. a. 1435 apud du Cange l. c. s. h. v.).

Ad 20. Idem Fr. n. 32, L. n. 38.

Ad 21. De conformitate quidem officii cum ecclesia cathedrali similiter Fr. et L. n. 23, omisso tamen de duabus missis simul cantatis vetito. Qui sequuntur versus memoriales pro lectionibus de scriptura („historia“) in hunc modum interpretandi. Voces „Petrus“ „Egidi“ „remi“ „omnes sancti“ Calendas Augustas Septembres Octobres et Novembres notant, in quas festa s. Petri ad vincula, s. Egidii, s. Remigii et omnium Sanctorum cadunt, „crux“ autem festum exaltationis s. crucis (14. Sept.). Voces „in princ.“ „si bona“ „pe.“ „adape.“ „vidi“ sunt initiales responsiorum primae lectionis Nocturni I dominicae I Aug., I et III Sept., I Oct. et I Nov. Alii versus memoriales facile intelliguntur, et pro quatuor temporibus iidem apud Martene anecdot. IV, 766 (v. du Cange l. c. s. v. „angariae“) praebentur, pro adventu autem in Martyrologio s. Victoris (l. c. s. v. „adventus“) sequentes:

„Adventum Domini non est celebrare Decembris

Post ternas nonas vel quintas ante Calendas.“ et

„Andreae festo vicinior ordine quovis

Adventum Domini feria prima colit.“

Ceterum Fr. et L. nec hujusmodi notas computi ecclesiastici habent nec singulos dies festos recensent.



Item Adventus Domini per hos versus:

Andreae festum vicinior ordine quovis  
 Adventum Domini prima dabit feria,  
 Si cadit in lucem Domini, celebratur ibidem.

Caeterum et haec festa celebranda ab ecclesia et praedecessoribus nostris et etiam a nobis celebrare praecipuntur, sc. Natalis Domini, Sanctorum Stephani, Joannis Evangelistae, Sanctorum Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschae cum tribus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum tribus sequentibus, omnia festa gloriosae virginis Mariae videlicet Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis et Purificationis, et singulorum Apostolorum, Cathedra Petri si extra XL e-  
 nerit, Nativitas Joannis Baptistae, Laurentii, Mariae Magdalenae, Inventio et Exaltatio s. Crucis, Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, Elizabeth, Catharinae.

22. Prohibemus etiam, ne celebretur Sabbatum, quod vulgariter Heilfeier dicitur, prout suggestione diaboli et adinventione rusticorum a quibusdam consuevit celebrari.

23. Hos etiam casus, quos a jure et a praedecessoribus nostris Varmiensibus Episcopis reperimus reservatos, nobis etiam sit reservatio, et sunt hi: absolutio ab excommunicatione majori juris vel hominis, item ubi fuerit sollemnis poenitentia imponenda, item ubicunque est arduum vel grave factum, praesertim si sit difficile vel ambiguum, item restitutio ablatorum vel male quesitorum incertorum, item blasphemia Dei et Sanctorum in publico, item truncatio membrorum, item homicidium, item sortilegium, item commutatio votorum quorumlibet, item absolutio a transgressione votorum, item judicare et discutere causas matrimoniales etiam si in confessionibus occurrant, item absolutio incendiariorum, item parentum percussio, item sodomia, item vitium abominabile videlicet contra naturam, et oppressio et negligentia puerorum per parentes, item proditio proprii domini, item sacrilegium, item mechia, item incestus videlicet cum sanguinea vel affini vel cum matre spirituali, patrino, aut aliqua ex Baptismo vel Confirmatione spiritualiter attinente, item defloratio virginis quod est stuprum, item percussor vel detentor clerici per vestem vel per frenum, aut perfundens eum aqua ferventi aut captivans aut in captivitate retinens clericum vel personam religiosam aut hoc fieri mandans aut procurans, item violentia Ecclesiae vel coemiterii, item infidelitas damnosa Episcopo facta, item absolutio sacerdotum vel confessorum, qui in iis casibus seu eorum aliquo, in quo absolvere non potuerunt, absolverunt, cum sit factum arduum atque grave, item si sacerdos vel confessor aliquod peccatum audiat, de quo an reservatum sit dubitet, tunc ad Episcopum remittat.

## II. Sequitur aliud Statutum.

Henricus Dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Varmiensis universis et singulis Archipresbyteris et plebanis per nostram dioecesim constitutis in Domino Salutem. Licet secundum canones nullus ad fidem nostram suscipiendam sit cogendus,\*) hi tamen, qui eam susceperunt, ipsam servare et secundum

Ad 22. Fr. et L. nihil de hac superstitione mihi alias ignota.

Ad 23. Eosdem casus reservatos Fr. n. 27 et L. n. 33 recensent, ita tamen ut solum „restitutionem ablatorum dimidium fertorem excedentium“ reservent, omittant „absolutionem a transgressione votorum,“ „discussionem et iudicium causarum matrimonialium in foro conscientiae“ et „remissionem poenitentis ad episcopum, si reservatio dubitatur.“ Praeterea L. quidem etiam „truncationem membrorum,“ „proditionem domini,“ „percussionem parentum,“ „infidelitatem damnosam Episcopo factam,“ quas et ipse Fr. habet, praetermittit — „moechiam,“ „sodomiam,“ „incestum,“ „percussionem vel detentionem cleri“ sane inter „crimina enormia, pro quibus sollemnis et publica poenitentia imponenda“ comprehendit.

\*) Cf. c. 23 C. 23 qu. 5. c. 9 XV, 6.



*eam vivere fideliter sunt cogendi, ne fides christiana contemptibilis habeatur. Et cum juxta apostolum fides sit ex auditu, auditus autem sit per verbum Christi, ideo statuit Ecclesia, ut fideles singulis diebus dominicis et festivis in ecclesiis suis parochialibus ad Missas et praedicationes verbi Dei teneantur convenire. Ibidem etiam prutenos et alios neophitos de jure teneri, cum fidem christianam susceperunt, dubium non existit. Verum cum ipsos in hoc negligentes et rebelles in dioecesi nostra fore sit evidens, nos ad dilatationem fidei et animarum salutem statutum praedictum adjunctione poenae temporalis, quoniam tales plus timere praesumimus, exequi prout possimus volentes, de consensu Venerabilis Capituli nostri statuimus,*

1. *Ut omnes et singuli pruteni et alii neophici nostrae dioecesis ad Ecclesiam sicut alii christiani venire teneantur. Nec sufficiat amplius, tantum duos ex illis de una tota villa ad Ecclesiam mitti, vobis et vestrum singulis injungentes et mandantes, quatenus quilibet vestrum diebus, quibus in Ecclesia sua praedicaverit, hoc statutum nostrum saepius publicet, et ipsos prutenos ac neophicos moneat, ut singulis diebus dominicis et festivis, quibus expeditionibus et terrarum custodiis, dominorum suorum servitiis ac aliis justis impedimentis occupati et impediti non fuerint, ad Ecclesiam veniant, Missas et verbum Dei audiant et in fide proficiant ut alii christiani. Si quis autem ipsorum masculus vel faemina absque legitima causa praemissa non fecerit, in solido monetae currentis toties, quoties neglexerit, puniatur. Et Camerarius loci illius hujusmodi solidos extorquere debet, et eis collectis cum plebani loci pecunia collecta in tres partes dividatur, quarum prima fabricae, et secunda plebano Ecclesiae, in cujus parochia tales fuerunt, et tertia pars Camerario debeatur.*

2. *Volumus insuper et mandamus, ut eisdem neophicis Orationem dominicam. Salutationem angelicam et Symbolum catholicum diebus dominicis et festivis distincte et expresse in prutenico sic, quod ea discere et incorporare valeant, praedicetur (praedicetis?) ipsis quod (quoque?) ex parte nostra praecipiat, ut praedicta discant et sciant, alioquin omnes et singulos neophicos talia ignorantes in fertone dictae monetae puniri volumus et mulctari, quae mulcta per Camerarios in singulis parochiis colligi et in tres partes dividi videlicet inter fabricam plebanum et Camerarium debet, ut superius de solidis est praemissum.*

3. *Praecipimus insuper, ut statutum Ecclesiae, quod incipit „omnis utriusque sexus,“ in sepultura ditorum neophicorum inviolabiliter observetur.*

4. *Volumus quoque, quod a Dominica, quae incipit „Deus omnium,“ singulis sabbatis unam antiphonam, diebus vero dominicis praefationem in Missis continue sequentibus, exceptis summis festis in honorem sanctae Trinitatis, et singulis diebus ferialibus tam ad vespertas quam ad horas matutinales antiphonam de corpore Christi ad ipsius venerationem in Ecclesiis vestris pro suffragiis in horis canonicis praedictis usque ad Adventum Domini cum collectis consuetis unanimiter observetis. Si quis autem vestrum in praemissis vel aliquo praemissorum negligens quod absit fuerit, condigne punietur.*

Ad 1. Fr. et L. n. 15 similiter, ita tamen, ut pro poena carentiam sepulturae ponant et omittant alia, quae primum neophytorum aevum sapiunt, ex. gr. ne unus vel duo ex tota villa mittantur, ut hoc statutum saepius in ecclesiis publicetur, ut expeditiones et terrarum custodiae exceptionem inducant.

Ad 2. Sim. Fr. n. 28 et L. n. 34 ita tamen, ut pro poena non pecuniae mulctam sed interdictionem s. eucharistiae, (n. 13) matrimonii, et (n. 19) patritatis constituent.

Ad 3. Sim. Fr. et L. n. 16. Canon cit. est conc. Lat. IV c. 21 (c. 12 XV, 38).

Ad 4. Has instructiones rituales nec Fr. nec L. praebent.



## III.

Nos Henricus Dei gratia Episcopus Varmiensis infrascripta statuimus et ordinamus.

1. Primo igitur cupientes et ex animo congaudentes, virgini Mariae matri castae gloriosae debitum famulatum impendere, et mandatum apostolicum de eadem dudum editum executioni demandare, vobis omnibus ecclesiarum parochialium rectoribus et presbyteris in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut festum Visitationis ejusdem gloriosae Mariae virginis singulis annis secunda die mensis Julii videlicet in die Sanctorum Processi et Martiniani tanquam festum Nativitatis seu Assumptionis ejusdem gloriosae Mariae virginis cum ipsius octava per historiam propriam ecclesiae nostrae cathedrali conformem per divina officia una cum vestris parochianis solemniter celebrare curetis. Eisdem vestris parochianis indulgentias ejusdem festivitatis et officiorum nec non celebrationem et vigiliae jejunium intimando prout hujusmodi indulgentiae in Bulla papali in historia ejusdem festi continentur. Item quod quilibet vestrum, qui historiam supradicti festi Visitationis, quam omnibus Archipresbyteris per nostram dioecesim transmisimus, nondum scriptam habuerit, eandem infra duos menses immediate sequentes transscribi faciat, omni dilatione postposita. Et si aliquis per visitatores nostros in hoc negligens repertus fuerit, poena synodali indubie punietur.

2. Item quia plerumque nonnulla gravamina non duntaxat nobis sed toti clero et populo oriuntur pericula et damna animarum propter retardationem litterarum currentium mandatorum nostrorum, quae per vos de uno ad alium secundum debitum ordinem solent et deberent transmitti, mandamus, quatenus nullus vestrum per integram diem naalem i. (e.) per diem et noctem hujusmodi litteras nostras aut officialis nostri apud se detineat, sed transmittat ad locum deputatum, quodque de executione litterarum hujusmodi necnon citationum et aliorum mandatorum vobis per nos ac officialem seu commissarios nostros mittendorum quilibet vestrum non solum per sigilli sui impressionem sed etiam per debitam subscriptionem videlicet sui nominis seu quicumque circa hujusmodi executionem fecerit ac diei, qua hujusmodi litteras seu mandatum executus fuerit, fidem faciat sub poena supradicta.

3. Item (quia) ut veridice accepimus, quod nonnulli vacantibus parochialibus ecclesiis in dioecesi Varmiensi potius animo ipsas Ecclesias bonis suis spoliandi quam ipsis praeesse anhelant, ad ipsarum possessionem adipiscendam bona, quae imprimis Ecclesiis derelicta, distrahunt et alienant, antequam constat, ipsos in ipsis Ecclesiis jus habere. Quapropter ad obviandum praesumptuositatibus hujusmodi tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli, qui in antea infra dioecesim Varmiensem apostolica vel alia quavis autoritate aliquas parochiales Ecclesias fuerunt assecuti, infra unius mensis spacium a tempore assecutionis hujusmodi immediate computandum in praesentia duorum vel trium notabiliorum parochianorum ipsarum Ecclesiarum, si commode haberi potuerint, alioquin aliorum fide dignorum parochianorum ipsarum Ecclesiarum de omnibus et singulis bonis mobilibus in ipsis Ecclesiis seu apud eas vel alibi ad plebanos ipsarum Ecclesiarum pro tempore pertinentibus quomodolibet repertis Inventaria facere teneantur, et nihil de bonis hujusmodi ultra necessarias expensas alienare vendere vel distrahere, ipsique ac illi, qui de praesenti ecclesias parochiales possident, dictas Ecclesias

Ad 1. Festum Visitat. B. M. V. secundum constitutum Urbani VI d. a. 1389 demum a. 1390 a Bonifacio IX pro universali ecclesia publicatum est (a conc. Bas. s. 43 decr. 33 renovatum) cf. Schulting „biblioth. eccl. t. II p. 2.

Ad 2. Idem Fr. n. 39 L. n. 48.

Ad 3. Similiter Fr. n. 34 et L. n. 40, multis tamen mutatis. Dum hic enim spatium unius mensis et praesentia duorum vel trium notabiliorum ponitur, venditio autem, resignatio arbitraria et omne auxilium in his causis latum sub poena excommunicationis reservatae interdicatur, illo solummodo generatim easdem res praescribunt, duo autem inventaria facienda mandant.



quovis nomine dimittere vel resignare debeant seu possint, et quod nullus eis in hujusmodi alienatione venditione seu distractione auxilium consilium vel favorem praestare praesumat sine nostra vel officialis nostri licentia speciali vel quousque nobis constiterit, ipsos in ipsis parochialibus Ecclesiis jus habere, et quod hujusmodi nostrum statutum et ordinatio observetur sub excommunicationis poena, quam trina canonica monitione praemissa in quoslibet transgressores et contra facientes ferimus in his scriptis, salvis aliis poenis ipsis tempore suo alias infligendis, absolutionem vero omnium et singulorum, qui praemissam excommunicationem incurrerint, nobis aut officiali nostro tantummodo reservamus.

4. Item quia nonnunquam presbyteri et clerici contra sacrorum Canonum sanctiones ad judicem et potestatem saecularem et ad judicia eorundem in causis ecclesiasticis recurrunt, ideoque statuimus et in virtute sanctae obedientiae mandamus, quatenus de caetero nullus plebanorum sacerdotum aut quicumque clericus et maxime in causis ecclesiasticis et aliis ad forum ecclesiasticum pertinentibus recursum habeat ad potestatem saecularem sub poena excommunicationis et poena synodali.

5. Item mandamus, quod in qualibet parochiali ecclesia, in qua et quoties sacerdotes fraternitatem suam peregerint, ut consueverunt, bis in anno, hujusmodi statuta Episcopalia inter eos ipsis audientibus sub poena synodali cum diligentia praelegantur.

6. Quae omnia et singula sub poena synodali videlicet trium marcarum praecipimus observari.


7. Quas constitutiones nos Henricus Episcopus in hac synodo nostra innovamus et de novo publicamus mandantes sub poena synodali supradicta, quatenus quilibet vestrum plebanus easdem constitutiones, si eas non habeat, infra tres menses in charta pergameni scribi faciat ac in Ecclesia sua in publico, ut legi possint, parieti affigat et eas pluries attente perlegat pro poena praescripta evitanda.

Ad 4. Hos canones (tit. XII, 1 et 2) inculcare fortasse ob ejusmodi praesumptiones ab Ord. Theut. hoc tempore adpetitas (cf. Tret. l. c. „vita Henr. III“) necesse erat.

Ad 5. Sim. Fr. n. 41, L. n. 50, addito tamen, ut de lectione ea episcopus infra mensem certior redderetur, et omisso, ut bis in anno ejusmodi fraternitates fierent.

Ad 6. Sim. Fr. n. 42, L. n. 51.

Ad 7. Sim. Fr. n. 43 et L. n. 52, sed sex mensium spatium relinquunt.





# LECTIONES.

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

### **Dr. Andr. Menzel, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Introductionem in studium theologicum tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
- II. Apologetices priorem partem tractabit diebus Veneris et Saturni hora X—XI.
- III. Doctrinam catholicam de redemptione et de gratia et justificatione exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora X—XI.

### **Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.**

- I. De antiquitatibus sacris Hebraeorum disseret diebus Martis, Jovis et Saturni hora IX—X.
- II. Ad Romanos datam Paulinam epistolam explicabit diebus Mercurii et Veneris hora IX—X.
- III. Barnabae catholicam epistolam exponet binis per hebdomadem horis definiendis.

### **Dr. Andr. Thiel, P. P. O.**

- I. Historiam ecclesiasticam secundi aevi christiani enarrabit quinques per hebdomadem hora XI—XII.
- II. De antiquitatibus Christianis disseret ternis per hebdomadem horis definiendis.

### **Lic. Ant. Pohlmann, P. P. E. Des.**

- I. Introductionem generalem in scripturam sacram dabit diebus Martis, Jovis et Saturni hora VIII—IX.
- II. Psalmos interpretabitur diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora VIII—IX.
- III. Locos chaldaicos V. T. explicabit binis per hebdomadem horis definiendis.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### **Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Aeschyli Septem adversus Thebas interpretabitur aut drama Sophocleum ter per hebdomadem hora X—XI.
- II. Persii Satiras explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis per hebdomadem horis definiendis.
- III. De rebus mythologicis disseret bis per hebdomadem hora X—XI.
- IV. Exercitationes philologicas moderabitur semel per hebdomadem hora definienda.



**Dr. Laur. Feldt, P. P. O.**

- I. Physicam experimentalem universalem docebit et conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Martis et Jovis hora XI—XII.
- II. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Mercurii et Veneris hora XI—XII.
- III. Trigonometriam geographicam i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: v. Sniadecki's sphaerische Trigonometrie etc. übersetzt von Feldt tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.
- IV. Calculum differentialem et integralem tradere perget, et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit diebus Martis et Veneris hora II—III.

**Dr. Joann. M. Watterich, P. P. E.**

- I. De Graecorum primordiis disputabit diebus Lunae, Martis et Mercurii hora pom. VI.
- II. De Friderici I imperatoris temporibus aget diebus Jovis et Veneris hora pom. VI.
- III. Res Anglicas inde a Guilhelmo I enarrabit diebus et horis definiendis ter per hebdomadem.

**Dr. Ludovicus Gerkrath, P. P. E. Des.**

- I. Psychologiam tradet quater per hebdomadem hora II—III.
- II. S. Augustini philosophiam exponet semel per hebdomadem hora definienda.
- III. Historiam philosophiae recentioris continuabit bis per hebdomadem horis definiendis.

---

## Publica doctrinae subsidia.

---

Bibliotheca Lycei, cui praest **Prof. Dr. Feldt**, diebus Martis et Veneris hora XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica quum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco potentibus lubenter dabitur.